



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36165

ANNOT. IOANNIS POMERANI

Et adorauit fastigium uirgæ.

Hieronymus legit, adorauit Israël dominum, cōuersus ad lectuli caput. Vides hic in patribus fuisse, ut fidem Christi, ita & crucem.

Oberrauerunt in ouillis & caprinis pellibus.

Vt Helias, & centum prophete, quos Abdias occulauit, 3. Regum 18.

Consummarentur.

Eadem Christi oblatione & nos illi sanctificamur, & eundem diem retributionis simul expectamus.

CAPVT XII.

Deposito onere omni, & tenaciter inhærente peccato.

Quia uidemus quotquot saluati sunt, fide saluatos, deponamus & nos per fidem omne onus consciētiae, & semper oppugnantis nos peccati, id est infidelitatis: & per tolerantiam curramus ad propositū bonū: non eligentes nobis modū, uiam, sed solū respicientes in modum, uiam, & doctrinam gymnasiarchæ & agonotheti nostri Christi: id est, sola fide sequamur eum, qui dux noster est in stadio quo curramus, quōcūq; & quacūq; ratione duxerit, sicut secuti sunt ueteres, de quibus supra dictum. Atq; hæc est
CRUX

crux, quæ fidei comes est, ut hic elegantissime describitur. Hic nihil Christo duce aberrabis, dum non facis uias tuas, ut Esaias 58. dicit. Est enim dux fidei, id est, initium & progressio omnis nostri boni: est & consummator omnis nostræ salutis, ut cognoscas nihil relinqui nostris uiribus. Quapropter monet diligenter hic author, ne deficiant propter temporales afflictiones à fide & Christiana uita, quam fides secum affert: ut uel ex hoc uno loco uideas, quò tota spectet epistola, &c. Item tenaciter, inquit: tenacissime enim semper nobis inhaeret peccatum, ac solícite. Christus autem deposuit illud.

fides
dux
est

Nondum usq; ad sanguinem restitistis.

Iam aliquibus ex uobis sunt ablata bona, & capti coniecti in carceres, tamen nondum sensistis mortem, qua testaremini Christum. Item: Flagellat autem omnem filium, &c. Et quod Paulus dicit: Omnes qui pie uiuunt in Christo, persecutionem patientur. Qui non uolunt castigari, spurij sunt.

Sed molestiæ, &c.

Aliquando homini uidetur in têtatione quod sit derelictus à deo. Item alludit ad ea quæ dicuntur Esaiæ 35. de confortatione.

Manus remissas.

t

ANNOT. IOANNIS POMERANI

Id est, quando incipitis languescere, in deo cōfortemini. Sunt autem hæc methaphorice dicta.

Non enim reperit pœnitentiæ locum.

Pœnitentia Esau & eiulatus, proprie est pœnitentia impiorum, quæ coram deo non est pœnitentia. Sic quidem dolent damna rerum, & animi angustiam, in quam sentientes iam dei iudicium inciderunt, à qua angustia si possent liberari, in æternum deū contemnerent: id quod historia aperte declarat. Qui enim sic coram patre fleuerit eiulatu magno, abiit, & solo contemptu patris duxit patri inuisam uxorem tertiam. Sic & Cain uolebat abesse tremorem in quem inciderat, sed ueniam delicti ex animo rogare non potuit. Sic Saul in angustia deprehensus non deprecatus est, ut remitteretur contemptus dei, qui tamen angustiam uoluisset abesse: & cum non aliud uideret remedium, gladio uitam abruptit, sicut Iudas laqueo. Quis nō uidet Iudæ tunc doluisse factum? quia iudicio dei intus angebatur, qui tamen peccati ueniam rogare non potuit. Ista horrenda exempla perterreant illos, qui pœnitentiam putant esse in manu sua quoties uoluerint, quasi fides, qua sola liberamur, sit iustitia humana, & non potius dei. Nota est pœnitentia Pharaonis, qui quoties flagellabatur à deo, postulabat ut rogaretur pro liberatione: sic & dæmones uellent liberari, qui

Esau
pœnit
uoluit

pœnitentiam
Pharaonis

tamē delicti ueniam rogare non possunt. Sic & fatuæ uirgines uellent quidem intrare ad nuptias, sed fatuitatis suæ, id est, infidelitatis (quemadmodū est in psal. 13. Dixit insipiens, &c) ueniam non rogant. Quin & alibi scribitur, nihil aliud norunt, quàm sua merita. Sanctæ uirgines sine oleo, speciosi illi hypocritæ: Domine, inquit, nōne in nomine tuo prophetauimus? & alia quedam.

permissi
vii:

Videte ne aspernemi eum.

Comparat ea quæ facta sunt in confirmatione ueteris legis satis horrenda cum gratia, quæ fit nobis in confirmatione regni cælorum inuisibilis, quando credimus, ut inferat idem quod sepe ante, si terrena quæ tunc uidebantur, quamuis dei erant, & è cælis erant, contemni impune non potuerunt: quanto magis hæc, quæ nō sunt huius mūdi, nō possunt impune contemni?

Cuius uox tum concussit terram.

Hoc impletum est, quando magna orbis commotio ne prædicatus est Christus Iudæis & gentibus: quam commotionem adhuc uidemus, donec penitus pereat huius mundi figura, & regnum omne detur populo sanctorum, secundum Danielis prophetiam. Cultum illum dei externum necesse fuit quādoq; perire. Nam erat in elementis huius mundi, quæ pereunt. Regnum uero quod in solo spiritu est, perire non potuit.